

Alte Drucke

Davidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Iudicvm, Rvth, in Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ

Chytræus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

Caput XXII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122

Ambigentes aut errantes conscientias erudiebant & confirmabant: respondēbant de obscuris quæstionibus & casibus subinde incidentibus: & grauiſſimarum religionis controuersiarum iudices erant, vt Malach. 2. dicitur: Labia sacerdotis custodiunt doctrinam, & legem Dei requirunt ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est. Et Deut. 27. discretē præcipitur, vt dogmatum controuersia ad sacerdotes referantur, & ex lege diuina iudicentur. Deinde docebant literas, arithmeticen, annirationem, physicen, artem medicam, historias, musicam. Harum enim artium omnium cognitio sacerdotibus Leuiticis in populo Iudaico necessaria erat.

Fuerunt igitur hæ quadraginta octo vrbes sacerdotum & Leuitarum, velut Gymnasia & scholæ benè constitutæ, & librorum doctrinæ cœlestis & aliarum artium ecclesiæ necessariarum bibliothecæ & custodes, ex quibus ad ministeria ecclesiastica & alia homines rectè instituti sumebantur. Etsi autem patriarcha Iacob, filio Leui pœnæ loco imponit, quod nullam regionem & fundos certos in Palæstina posterii ipsius possessuri, sed per reliquas tribus dispergendi sint, Gen. 49. Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israël: Tamen hac pœna Deus ad suam gloriam & ecclesiæ salutem vtitur. Acea occasione plures scholas veræ de Deo doctrinæ in omnibus tribubus instituit, ex quibus in omnes Palæstinæ angulos, facilius spargi & propagari lux veræ doctrinæ potuit. Ita decem tribus postea in omnes gentes dissipatæ, veram de Deo & Messia venturo doctrinam in totum terrarum orbem ea occasione deriuarunt.

Ἐπαρούμενος familiarum tribus Leui, & nomina OPPIDORVM sacerdotibus & Leuitis in singulis tribubus distributorum pleraq; Exod. 6. Num. 2. 4. & proximis superioribus capitibus Iosua 15. 18. 19. interpretati sumus. Patriarchæ LEVI tres filij fuerunt, Caath, Gerson, Merari. Caath quatuor filios reliquit, Amram, Isuar, Hebron, Oziel, Exod. 6. Num. 3. 4. Ex Amram patre Aaronis propagatæ sunt familiæ sacerdotum, quibus tredecim oppida, in tribubus Iuda, Simeon & Benjamin, Hierosolymæ vicina, tribuuntur. quorum situs, & nominum significationes supra cap. 15. 19. ferè omnium exposuimus, excepto oppido ANATHOT, in tribu Benjamin, quod patria est Ieremiæ prophetæ, exiguo interuallo 3000. passuum, à Ierosolyma versus septentrionem abfuit, in quod egressurus tempore obsidionis Ieremias in carcerem conijcitur, Ierem. 32. ac eiusdem mentio fit 1. Esdr. 2. Nehem. 7. 11. 3. Reg. 2. Esa. 10. *ענתות* paupercula. *Almon*, *ינח* iuuenis. A cæteris Caathi filijs, videlicet Isuar, Hebron & Oziel ortæ, non sacerdotum, sed Leuitarum familiæ, in tribubus Ephraim, Dan & Manasse domicilia tenuerunt, Ios. 16. 17. 19. *Gersonite*, in Isaschar, Afer & Neptalim, Ios. 19. *Merarite*, in Zebulon, Ruben & Gad. Ios. 13. 19.

Caput XXII.

DVæ partes sunt. I. Historia dimissarum à Iosua trium tribuum transJordanarum. II. Legatio solennis decem tribuum ad transJordanos. in qua status seu propositio orationis summi sacerdotis Phinees & decem legatorum est: *Grauisimè peccasse transJordanos, quod aliare*

aliare

altare nouum ad Iordanem excitant. Syllogismus principalis. Transgredientes expressum mandatum Domini Dei nostri, grauissimè delinquant, & horribiles poenas, non sibi solum, sed toti Reipublicæ populi Israël accersunt. Rubenitæ & cæteri transIordani, expressum mandatum Domini Dei nostri, qui vno tantum in loco tabernaculi à se electo, altare condi & sacrificia sibi offerri seuerissime Deut. 12. præcepit, transgressi sunt, exstructo nouo altari ad Iordanem. Ergo Rubenitæ & Gadditæ horribiliter peccarunt, & nisi demolientur & excident altare nouum, tristissimas calamitates non sibi solum sed toti populo Israël attracturi sunt. Maiorem probant & illustrent exemplis delictorum & poenarum, quas Israëlita, in Sethim, cultu Idoli Moabitarum Baalpeor, Num. 25. & **ACHAN** pronepos Zaræ filij patriarchæ Iuda, præuaricans præceptum Domini de bonis sacris, sibi & toti populo aduocarunt.

Ad hanc accusationem respondent transIordani, negata minore Syllogismi, & rationem addunt, Quia secundum non causam vt causam procedatur. Etsi enim fatentur se altare nouum ad Iordanem excitasse: tamen negant se hoc animo & hoc fine extruxisse, vt holocausta & victimas in eo offerrent, quod lege Dei Deut. 12. seuerissimè prohibitum erat, sed aliam causam finalem sibi propositam fuisse affirmant, videlicet, vt hoc altare esset *μνημόσυνον* seu testimonium, quod Dominus seu verus Deus Ichoua, à quo ex Aegypto, per mare rubrum & desertum in terram promissam educti erant, & legem in monte Sinai ac promissiones de Christo acceperant, ipse sit Deus, non solum decem tribuum, quæ in terra Canaan hereditatem acceperant, sed etiam quæ transIordanem in terra Galaad habitabant, & ad has, non minus quàm ad illas decem, Ius altaris & totius templi in Silo collocati pertinere, ac Rubenitas & Gadditas & cæteros transIordanos, non minus quàm Ephraimitas, Iudæos, & Beniamitas, ius offerendi in illo altari holocausta & victimas, & cæteros sacrorum ritus exercendi, habere. Hac apologia Rubenitarum audita, legati acquiescunt, & ex finibus & ex causis æstimandas esse actiones, *καὶ τῶ τέλει ἐκάστων ὁρίσσειν* agnoscunt. vt prohibet Deus vulnerari & secari aliorum corpora: & lecat latro, & secat Chirurgus: sed alter vt interficiat, alter vt reliquum corpus incolume seruetur. Ita Iudæi crucifigentes Christum externa specie videntur opus congruens cum voluntate Dei facere, qui filium mori & victimam fieri pro peccatis generis humani volebat, sed causæ interiores impulsivæ & finales infinitum discrimen faciunt. Ita nunc *εἰκονόμαχοι* speciosè in suo theatro ecclesiarum harum regionum accusant, quod contra expressam prohibitionem primi & secundi præcepti (Non facies tibi imaginem vel similitudinem vllius rei, quæ est in cælo sursum vel in terra deorsum, vt adores & colas eam) imagines & statuas in suis templis tolerant. His, vt Rubenitæ legatis decem tributum, respondemus: Non adorari nec coli imagines, nec vllam earum adorationem aut cultum tolerari in nostris templis, sed picturas passionis & resurrectionis Christi, & martyrum sanctorum; velut *μνημόσυνα* & monumenta historiæ retineri, quibus ad veram pietatem, fidem, constantiam, & cæteras virtutes sanctorum pro nostro modo imitandas, excitemur. Qui finis imaginum in verbo Dei nequaquam prohibitus est.

Præcipue autem in huius legationis historia consideretur hic locus principalis, quod non liceat in ecclesia instituire **CVLTVS DEI** proprio arbitrio

arbitrio, sine verbo & contra verbum Dei electos. Deut. 12. Non facietis singuli quod vobis rectum videtur, sed quod præcipio tibi, hoc tantum facias Domino, non addas quidquam neq; minuas. Deut. 4. Non adderis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. De hac thesi & principio totius religionis nostræ præcipuo, prolixè dixi in enarratione quarti capituli Deuteronomij, vnde ad hunc locum assumi cætera poterunt.

Nunc de prima etiam huius XXII. capituli parte, in qua tres tribus transiordanæ, finita militia, domum remittuntur, breuiter dicam. In qua primum illustre exemplum *πεθαρχίας* Iosua celebrat, quam verè *μεγιστον αγαθον* in gubernatione Cyrus ille Xenophonteus nominat. *πεθαρχια* ἢ ἐστὶ τῆς ὑπαρχίας μητρὸς, γυνὴ σωτῆρος, vt Aeschylus definit. Nihil enim magnum & salutare, à magistratibus & ducibus, sine obedientia & auxilijs subditorum fidelibus, feliciter geri potest. ac optimus Reipublicæ ciuis est, qui ceteros ciues mauult obedientia erga leges & magistratus, quam certamine Olympico vincere. Huius virtutis specimen insigne Rubenitas & Gadditas edidisse Iosua hoc in loco testatur, cum mandato Mosis Num. 32. Deut. 3. & Iosua, supra cap. 1. 2. sponte & libentes & sine contumacia paruerunt, & relictis domi coniugibus & liberis, fratres suos in debellanda & occupanda regione Canaan aliquot annos fideliter iuuerunt. Secundò, Insignibus verbis, summam primi præcepti, DE DILECTIONE DEI, verò corde & totius vitæ obedientia Deo præstanda, Iosua repetit, quam supra Deut. 6. prolixè explicauimus. Est autem dilectio Dei, verum & ardens incendium amoris, quo corda nostra, agnito ardenti amore Dei erga nos, quem misso filio declarauit, vicissim Deum complecti debebant, & cum quadam lætitia in ipso adquiescente, se ei subijcere, & in vijs eius ambulare, & omnibus mandatis illius reuerenter & libenter obedire, vt 1. Iohan. 5. dicitur: Hæc est dilectio Dei, vt mandata eius seruemus. Exuscitare autem nos ad Deum ardentem diligendum, & obedientiam ipsi præstandam debent: Primum, ordo iustitiæ & necessitas debiti æterna & immota, vt Deo ita ardentem diligenti nos, vt filium suum vnigenitum pro nobis in mortem dederit, non ingrati simus, sed amantem redamemus, eiq; obediamus. Deinde, mandatum Dei seuerissimum, cui omnes creaturæ rationales subiectissima reuerentia parendum esse intelligunt. Tertiò, dignitas dilectionis Dei & proximi, quæ post fidem præcipuus & summus cultus Dei est, quo inprimis Deus delectatur, & in pectoribus diligentium se, velut in grato domicilio & templo habitat. 1. Iohan. 4. Deus dilectio est, qui manet in dilectione, in Deo manet & Deus in eo. Quartò, ne gratiam Dei, spiritum sanctum & hæreditatem vitæ æternæ propter Christum donatam iterum amittamus. Nam qui non diligit, manet in morte. Quintò, mandatum & exemplum Christi, Iohan. 13. 14. Ephc. 5. Imitatores Dei estote, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit seipsum pro nobis, &c. Hæ causæ grauissimæ nos ad dilectionem Dei & proximi ardentem excitent, Quam etsi ex toto corde & tota anima, perfectam & ardentem præstare non poterimus: tamen inchoatam etiam & languidam, in ijs, qui veram agnitionem Christi & fidem retinent, & quantum Deo ducente & iuuante possunt, annuntunt Deo obedire, nec petulanter contemnunt Deum, aut omne studium & conatum obtemperandi Deo abijciunt: sed agnoscentes infirmitatem & nauos suos deplorant, &

rant, & propter filium mediatorem sibi condonari petunt: tamen recipit Deus, & sibi placere & acceptam esse propter Christum, & amplissimis præmijs à se remunerari, Deus ostendit.

Caput vigesimum tertium & vigesimum quartum.

Restremus actus vite & testamentum Iosua sequitur, qui inhumanum illud & sceleratum veteris versus votum, *ἐπεὶ δὲ δαδὶσὶ γαῖα μὲν χθρῆτα ἀποῖ*, se acerrimè odisse, maximeq; detestari ostendens, & in omne tempus Reipub. sibi commissæ consulere cupit, & posteritatem ad se pertinere putat: Et de summo thesauro legis Dei, seu veræ de Deo doctrinæ, & pietatis ac obedientiæ erga Deum religiosè ad posteros conseruando, se sollicitum esse demonstrat. *Exhortatur itaq; Israëlitas ad constantem pietatem & obedientiam Legi Dei per Mosen traditæ præstandam, & fugiendam omnem contumaciam, ac Idololatriam præcipuè, qua velut summo crimine læsæ maiestatis diuinæ, Deus grauissimè offenditur.* *Argumenta Adhortationis, 1. ab Honesto seu mandato Dei. 2. ab Vili, seu promissionibus præsentis & auxiliij diuini & victoriarum præcipuarum. 3. ab Inutili seu horrendis cladibus & penis, quibus impietatem eorum, per illas ipsas gentes Cananæas, quarum Idololatriam imitabuntur, Deus vindicabit: & alijs calamitatibus, quas supra Leuit. 26. Deut. 28. & alibi comminatus est. 4. à commemoratione Beneficiorum, qua huic populo, inde vsque à prima origine, in peregrinationibus sanctorum patrum in terra Canaan, in Aegypto, in deserto, & hac ipsa introductione in terram promissam, DEVS amplissima tribuit, ducta sunt. Quæ, aliquoties supra Deut. 1. 4. 8. 9. 10. 28. 29. 30. 32. repetita & inculcata, sæpè à nobis quoq; relegenda & animis inculcanda sunt, vt nostras etiam mentes ad studium veræ pietatis, & timorem Dei, fidem, inuocationem & obedientiam ac gratitudinem ardentem exuscitemus. Hæc 23. & 24. capituli Iosua summa est. Exerat etiam, in initio 23. capituli, insigne exemplum tranquille & florentis senectæ in Iosua, congruens ad Psalmi 92. sententiam illustrem: Iustus vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur, Plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebut. Adhuc germinabunt in senectâ, pingues & virides erunt, vt annuncient quoniam rectus Dominus. Et si autem crudam viridemq; senectam, & vigorem animi & corporis robur mediocre, gubernatoribus & Ducibus nonnullis, rerum gestarum gloria claris, non defuisse legimus, tamen tranquillitas in senectâ paucis contigit. Alexander magnus & pleriq; alij bellatores ante initium senectæ perierunt. Alexandri duces & successores, Antigonus annum 81. egressus, ad Ipsum Phrygiæ oppidum: Seleucus anno ætatis 77. ad Lyfimachiam à Ptolemæo Cerauno, in acie interfectus est, cum ante paucos menses Lyfimachum annos 80. natum in acie trucidasset. Quam inquieta Marij patris & multorum aliorum senectâ fuit. At Iosua duci, non modò rerum bello gestarum, verum etiam pietatis, sapientiæ, moderationis & omnium virtutum gloria præstanti,*